






Programma

OMNIVM CONFESIONE
 MAGNVM
 PIETATIS MYSTERIVM
 DEVS APPARVIT
 IN CARNE
 CVM DIES NATALIS
 SERVATORIS OPTIMI
IESV CHRISTI
 A. M DCC XXIX
 AVSPICATO ILLVXISSET
 TENVI VENA
 SED SVMMA ANIMI RELIGIONE
 MEDITARI VOLVERVNT
 SCHOLAE CATHEDRALIS ALVMNI
 PRIMO ORDINI ADSRIPTI



NVMBVRGI,
Typis BALTH. BOSSOGLII, Privileg. Typogr.

AB

AV





* * *

Ste procul coecae mysteria credita genti:
Nil nisi peccatum vos datis: este procul.
Este procul, nigro quae muta silentia peplo
Obuelant, Siculae mystica sacra deae.

Christiadis fulgent mysteria talia nobis,
Quae non fucata nos pietate beant.
Nolunt nocte tegi; sed clara luce nitere,
Notaque terrigenis omnibus esse, volunt.
Corporis humani verus Deus induit artus,
Et voluit nostri sanguinis esse puer.
Non capit arcanum nostrae sollertia mentis,
Quod fulgore premit lumina nostra suo.
Hinc ridet Mahumed, ridet Iudaeus apella,
Discipuli rident, Fauste Socine, tui.
Scilicet immensum claudetur corpore numen:
Et Deus aeternus pufio paruus erit.
Terra prius coelo iungetur, fluctibus ignis;
Quam Deus existat virgine natus homo.
Num minus illustrat totum sol aureus orbem,
Quod nequit illius cernere talpa iubar?
Rideat ista cohors mysteria nostra cachinno;
Dicat: Homo verus non Deus esse potest.
Hoc tamen arcanum perstat, debile nullis
Telis, queis illud turba profana quatit.
Hoc tamen arcanum perstat, spirabile numen
Quod tradit, tradunt dicta sacrata Dei.
Sidere felici cum tandem tempus adesset,
Quo voluit soboles nos reparare Dei.
Virginis omnipotens VERBUM descendit in aluum,
Quod natura suo non capit ampla sinu.
Adfuit, aligerum iuuenum comitante caterua,
Spiritus, informes qui calefecit aquas.
Virginis ex tepido secreuit sanguine guttas,
Ex quibus ille nouus conficeretur homo.

Ab-

Abstulit ex illis foedae contagia labis,
 Quois genus infectum squallet, Adame, tuum.
 Mox fabrefecit opus, quo nil praestantius vsquam,
 Quo nil immensus pulchrius orbis habet.
 Et VERBO iunxit CARNEM, seruator vt vnus
 Effet, cui dederant secula nulla parem.
 Tegminis vt iungit sponsum sponsamque sub vmbra
 Mysta perennanti foedere, apella, tuus.
 Virgoque, cum nouies reparasset cornua Phoebe,
 Enixa est vteri numen onusque sui.
 In nunc, Nestoriana cohors, et ride parentem,
 Quae dederit partu nobiliore Deum.
 Impia, ride Deum praefricta fronte bimestrem;
 Finitus nemo cum Deus esse queat.
 Metiri ratione tua mysteria noli:
 Non nisi constanti sunt capienda fide.
 Cernis, vt vnus homo fiat; cum spiritus artus
 Intus agit; cum mens membra caduca regit.
 Sic nobis datus est miseris seruator et vnus;
 VERBO mirifice dum CARO iuncta fuit.
 Quis dubitet, quin iure deipara virgo vocetur,
 Quae peperit prolem non temerata Dei?
 Scilicet esse Deus debebat Christus homoque,
 Vt posset digno nos reparare modo.
 Debuit esse Deus, patris vt lenire furorem
 Posset, et, vt mortem perpeteretur, homo.
 Sic noster gemini est praelcarus stemmatis heros,
 In quo iuncta datur cum deitate caro.
 Aeterni sobobes idem est aequaeva parenti,
 Qui praefinito tempore factus homo.
 Angelus hoc cecinit: Rector Dauidis in vrbe est,
 Qui iacet in misero nudus inopsque loco.
 Dotibus vtque suis donat mens corporis artus,
 Et per membra suas res animosa gerit:
 Sic VERBUM cum CARNE suas communicat vltro,
 Spiritus vt sanctus testificatur, opes.

Chri-

Christus homo claro, veluti praesentia, vultu
 Obscuris tenebris abdita quaeque videt.
 Christus homo facili peragit miracula nutu,
 Et facit, angelica non facienda manu.
 Christus homo, quamuis longe videatur abesse,
 Attamen est praesens hic et vbiq̄ue suis.
 Vitima cumque dies perituro illuxerit orbi,
 Proferet in lucem crimina Christus homo.
 Hoc quicumque frequens arcanum dogma volutat
 Intra pectus, eum non finet esse malum.
 Dicite Christiadae: Christum redamemus amantem:
 Dignus enim tantus, qui redametur, amor.
 Nostra caro in folio cum numinis alta coruscet,
 Criminibus quis eam dedecorare velit?
 Sit procul a nobis luxus, sit praua libido,
 Castaque qui maculat pectora, turpis amor.
 Carne tegi voluit summi patris vnica proles,
 Redderet vt patri nos similesque sibi.
 Ille Deo similis sed factus iure putatur,
 In cuius factis fulget imago Dei.
 Nos decet ergo Deum probitate referre parentem:
 Non aliter similes possumus esse Deo.
 Sit Deus ante oculos nullo non tempore nobis:
 Illius adsp̄ctus dissp̄pat omne nefas.
 Semper ad exemplum sancti viuamus Enoch;
 Sitque Deus nostrae duxque comesque viae.
 Ipse Deus nostram voluit sibi iungere carnem:
 Rursus vt effemus gens sociata Deo.
 Cum tenebris sed nulla datur concordia lucis:
 Turpia nec virtus crimina ferre potest.
 Ergo, ceu pestem, fugiannus crimina: namque
 Separat a nobis nil nisi culpa Deum.

* * *

78 M 496

ULB Halle
001 618 148

3



TA-206

607





OMNIVM CONFESSIONE
MAGNVM
PIETATIS MYSTERIVM
DEVS APPARVIT
IN CARNE
CVM DIES NATALIS
SERVATORIS OPTIMI
IESV CHRISTI
A. M DCC XXIX
AVSPICATO ILLVXISSET
TENVI VENA
SED SVMMA ANIMI RELIGIONE
MEDITARI VOLVERVNT
SCHOLAE CATHEDRALIS ALVMNI
PRIMO ORDINI ADSRIPTI.

NVMBVRGI,
Typis BALTH. BOSSEGLII, Privil. Typogr.

